

ipsius; non tamen potest facere contra ordinem creaturæ ad scriptum. *Justitia autem hominis consistit principaliter in debito ordine hominis ad Deum. Unde contra ordinem justitiæ Deus facere non potest. Cursus autem naturæ est secundum ordinem unius creaturæ ad aliam; et ideo contra cursum naturæ Deus facere potest* (1).

Objic. 5.^o Cursus naturæ spectat ad bonum universi. Sed Deus non potest facere contra bonum universi; quia ex sua bonitate summa provenit, quod omnia sint valde bona secundum ordinem universi. Ergo Deus non potest facere contra cursum rerum naturalium (2).

Resp. *Deus faciendo præter cursum naturæ non removet totum ordinem universi, in quo consistit bonum ipsius, sed ordinem alicujus particularis causæ ad suum effectum* (3).

Objic. 6.^o Quod est contra naturam, inordinatum est. Sed Deus nihil inordinatum facere potest. Ergo...

Resp. dist. Major, id est; non est ordinatum secundum particularem naturam, *conc.*; nullum prorsus ordinem habet, *neg.* Nam Deus quotiescumque præter ordinem naturæ operatur, exceptionem ad altiorum ordinem dirigit, quemadmodum agendo de finali causa miraculorum declarabitur.

Objic. 7.^o Dedecet ens infinite sapiens, ut leges faciat, quas deinceps violet. Nam id ostenderet eas ad suum finem perfectas non esse, ideoque correctione indigere, idque Deum ab initio non prævidisse, vel certe mutasse suum consilium relate ad earumdem executionem: quæ omnia prorsus nefas est cogitare.

Resp. neg. assert. et probationem. Etenim leges naturæ ineptæ non sunt, sed aptissimæ sufficientissimæque ad finem suum assequendum. Verum quia Deus æterno providentiæ bonitatisque suæ consilio, præter naturales fines rerum ad universalem mundi ordinem conservandum directos, potuit alios quoque intendere ad majorem suam gloriam majusque bonum rationalis creaturæ; potuit quoque ad horum altiorum finium assecutionem inter alia media suspensionem

(1) S. Thom., *de Potent.*, loc. cit. ad 3.^{um} Cfr. 1 p., quest. 105, art. 6 ad 2.^{um}

(2) Vide apud S. Thom., *de Potent.*, quest. 6, art. 1, arg. 7.

(3) S. Thom. *ibid.* ad 7.^{um}

physicarum legum exceptionemque naturalis cursus identidem factam ordinare. Et ita re vera Deum aliquando egisse, ex certissimis historiis compertum est. Suspendio ergo legum naturalium in casu aliquo particulari nullatenus probat eas imperfectas esse, aut correctione indigere. Multoque minus argueret Deum aut suspensionem aliquando faciendam non prævidisse, aut mutasse unquam consilium. Ipse namque simul æterno sapientiæ suæ decreto et leges toti naturæ constanter servandas præscripsit, et exceptiones, cum opportunissimum foret, faciendas assignavit. Apposite Aquinas: *Deus non facit contra rationes naturales mutabili voluntate; nam Deus ab æterno prævidit, et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturæ cursum, ut tamen præordinaretur in sua voluntate, quod præter cursum istum quandoque facturus erat* (1).

Verum plura de his inferius, ubi de miraculorum possibilitate. Vide interea, si lubet, S. Thomam (2).

CAPUT II.

DE MIRACULIS.

Controversia hæc, quantumvis theologica, non tamen aliena est a Philosophia, nec prætermittenda nobis in hoc loco. Primo enim intime conserta est cum iis, quæ de naturæ legibus modo disputavimus; ac supposita veritate revelatæ religionis, quicquid ad naturam miraculorum pertinet, fere potest naturali lumine rationis demonstrari. Aliunde vero quæ rationalistæ ac generatim acatholici scriptores hac in re blasphemantes effutunt, necessariam prorsus reddunt tractationem; vix enim alia est quæstio, in qua revelatæ doctrinæ osores suam miserabilius prodant ignorantiam, impietatem ac malam fidem: ignorantiam quidem, quia tota ferme illorum ratiocinatio vitari solet eo sophismate, quod Logici

(1) S. Thom., *de Potent.*, quest. 6, art. 1 ad 6.^{um} Cfr. *Cont. Gent.*, lib. 3, cap. 98.

(2) *De Potent.*, quest. 6, art. 1; 1 p.; quest. 105, art. 6.

dicunt *ignorationem elenchi*; impietatem, quia præclarissimum divinæ potentiæ bonitatisque opus blasphemantes impugnant; malam denique fidem, quia innumeros de hoc argumento sapientissime conscriptos libros contemnunt, objectaque veterum sexcentis diluta et pene prostrata, iterum iterumque proponere non erubescunt.

ARTICULUS I.

Germana miraculi notio declaratur.

Exclusa
latiori
et impropria
miraculi
acceptio.

109. Solet quandoque nomen miraculi latius extendi ad ea opera significanda, quæ in proprio et apud sapientes usitato sensu miracula non sunt, nec in controversiam adducuntur, quando de miraculi possibilitate vel existentia disputatur. Hoc pacto quivis effectus insolitus a causa occulta vel certe modo nobis ignoto procedens miraculum dicitur; alias vero isto nomine significantur ea opera, quæ causam quidem notam habent, modo tamen exquisitiori fiunt atque adeo admirationem intuentium extorquent: talia sunt quæ *miracula artis* appellant. Verum hæc aliaque id genus *mira* quidem esse possunt, sed miraculi nomen nullatenus merentur; si enim vera forent miracula, frustra tam acriter disputaretur inter catholicos et acatholicos scriptores de miraculorum possibilitate. Enimvero quis est, qui non agnoscat *miracula artis*, vel generatim effectus, quorum aut causæ aut modus efficientiæ nos latet? Aliqua ergo alia res significatur sub nomine miraculi, a qua tantopere abhorrent rationalistæ, quam toto animi conatu et ineluctabili argumentorum pondere propugnant catholici Doctores, et nos quoque pro viribus, divina aspirante gratia, declarandam ac tuendam suscipimus. Omissa itaque vulgari et impropria descriptione, quæ verum miraculum minime demonstrat, classicam et scientificam inquiramus.

germana
notio traditur;

110. PROPOSITIO. *Miraculum est opus sensibile divinitus factum superans ordinem totius naturæ creatæ.*

declaratur,

Hæc est definitio communis inter scriptores catholicos secundum Angelici doctrinam, qui: *Miracula*, inquit, *simpli-*
citer loquendo dicuntur... cum aliqua sunt præter ordinem

totius naturæ creatæ (1). Probatur autem simul et explicatur.

Miraculum in primis dicitur *opus sensibile*, quia ut mox agendo de fine miraculi magis explicabitur, patrat a Deo, ut aliquid homini significet; ac proinde notum illi fieri possit, oportet. Atqui homini miraculum innotescere nequit, nisi aliquo modo sensibile sit. Cæterum necesse non est, ut miraculum sit opus in seipso sensibile, sed satis est, ut ex effectibus sensibile reddatur. Sic miraculosa dici potuit scientia Apostolorum divinitus infusa, quia *quamvis secundum se non fuerit manifesta, manifestabatur tamen in effectibus, ex quibus mirabilis apparebat* (2).

Deinde additur in definitione: *divinitus factum*, quia licet omnia opera etiam naturalia causarum secundarum Deus faciat, miraculum tamen cum sit præter ordinem totius naturæ creatæ, atque adeo a solo Deo efficiatur, ut mox probandum erit, speciali ratione opus divinum dici meretur (3).

Tertio miraculum dicitur *superare ordinem totius naturæ creatæ*, vel esse *præter ordinem naturalem creaturis inditum*, quemadmodum loquitur S. Thomas (4).

Nempe miraculum est opus aliquod supernaturale: idque significat ad rationem miraculi requiri, ut opus fiat diverso vel contrario modo, ac natum est fieri, spectata indole et exigentia naturæ. *Quare nec requiritur, nec sufficit* ad rationem miraculi generatim sumpti, ut non sint in natura vires aptæ ad effectum illum producendum. *Non requiritur*, quia quamvis adsint vires in natura, si tamen actu hic et nunc vel omnino non adhibeantur, vel adhibeantur insolito modo, verissime effectus præter naturæ ordinem erit; ut v. g. si combustio fiat vel in materia non combustibili, vel non

(1) S. Thom. 1. p. quæst. 110, art. 4 in corp. Cfr. ibid ad 2.^{um} et 4.^{um}; *Compend. theol.* cap. 136; 1 p. quæst. 104, art. 4; quæst. 105, art. 7; lib. 3.^o *Contr. Gent.* cap. 101; *De Potent.* quæst. 6, art. 2.

(2) S. Thom. 1 p. quæst. 105, art. 7, ad 3.^{um}

(3) Cfr. S. Thom. *de Potent.* quæst. 6, art. 2; 1 p. quæst. 110, art. 4.

(4) 1 p. quæst. 110, art. 4, corp. et ad 2.^{um} et 4.^{um}; quæst. 114, art. 4.

applicato igne aliave causa naturali, vel applicato ad justo longiorem distantiam, vel demum quin materia flammis absumatur. *Non sufficit*, quia quamvis nullæ sint in natura vires effectui edendo pares, si tamen ille producatur eo modo, quo solet ex natura et indole ipsius produci, quantumvis superet vires creatas, nequit tamen dici superare ordinem naturæ: quare creatio animæ rationalis, quidquid in contrarium dicere potuerit Leibnitzius (1) alique, quamvis solius Dei propria est, si tamen peragatur mediante ordinario modo generationis humanæ, miraculosa non est, quia illa est via naturalis ad rationalis animæ productionem: et similiter loquendum est de impij justificatione, si medijs ordinarijs fieret (2), esset autem miraculosa si fieret extra solitum ordinem (3). Ad rationem ergo miraculi dicitur requiri, ut sit eventus supra vel præter universum ordinem naturalem, ideoque a solito naturæ cursu devians, vel quia res ipsa est supra vires et solitum morem naturæ, vel quia fit non ab illis causis vel certe non eo modo, quo natum est fieri, ut magis patebit, cum varii modi ac species miraculorum declarabuntur.

et probatur

Id porro probatur, quia ut superius innuebamus, ea est germana miraculi ratio, quam omnes communissime semper intellexerunt, et adversarii cum irrideret atque impugnant, et patroni cum illius realitatem tuerentur. Atqui ejusmodi ratio præsertim in eo sita est, quod miraculum superet ordinem totius naturæ creatæ. Et re quidem vera certum est hanc semper præcipuam in Theologia et Philosophia circa miracula controversiam agitari, utrum possibile sint. Jam vero nisi miraculum superet naturæ ordinem modo jam explicato, sed intra ordinem naturalem, exigentiam potentiamque sive activam sive passivam contineatur; ne

(1) *Theodic.* paragr. 249.

(2) *Creatio*, inquit Angelicus, et *justificatio impij, etsi a solo Deo fiant, non tamen proprie loquendo miracula dicuntur; quia non sunt nata fieri per alias causas; et ita præter ordinem naturæ non contingunt, cum hæc ad ordinem naturæ non pertineant.* 1. p., quæst. 105, art. 7 ad 1.^{um} Cfr. *de Potent.* quæst. 6, art. 2 ad 5.^{um} et 6.^{um}; 2.^o dist. 18, quæst. 1, art. 3 ad 1.^{um}; 1. 2. quæst. 13, art. 10.

(3) Cfr. S. Thom. 2.^o dist. 18, quæst. 1, art. 3 ad 2.^{um}

minimum quidem dubium restare potest de miraculi possibilitate. Quod enim sint in natura effectus naturales vere mirabiles et stupendi, quorum causæ penitus latent, nemo sanus negaverit. Ergo nomine miraculi, non effectus aliquos naturales, quantumvis mirabiles et insolitos, nec etiam effectus, quorum ratio præscindat ab hoc, quod sint secundum naturam vel præter naturam, intelligere oportet, sed effectus præter omnem naturæ modum et ordinem productos.

Idem præterea probari potest ex ipso vocis etymo cum S. Thoma. Etenim miraculum, a verbo *miror*, est opus admiratione plenum, seu eximia quadam ratione mirabile. Atqui opus speciali et insigni modo mirabile est, non quidem illud, ad quod ponendum est in ipsa dispositio et causa, quamvis nobis ob nostram ignorantiam occulta, sed illud, ad quod non est in ipsa natura dispositio nec causa, sed contrarius ordo; tunc enim vere causa illius non solum respective, sed etiam absolute occultissima est, saltem ratione modi operandi, nempe Deus, qui in omnibus secretissime operatur. Ergo illa sola proprie dicenda sunt miracula, quæ superant ordinem totius naturæ creatæ, vel sunt præter ordinem naturalem creaturis inditum: quæ vero non superant omnem naturæ ordinem, quantumvis causa eorum naturalis ignoretur, *mira* quidem dici poterunt, vel etiam miracula *quoad nos* et *secundum quid*, non tamen *simpliciter* et *secundum se* (1).

Præclare totam hanc miraculi definitionem probat et illustrat Doctor Angelicus: *Respondeo dicendum, quod miraculi nomen a mirando est sumptum. Ad admirationem autem duo concurrunt, ut potest accipi ex verbis Philosophi in principio Metaph. (lib. 1, cap. 2, circa med.): quorum unum est, quod causa illius, quod admiramur, sit occulta: secundum est, quod in eo, quod miramur, appareat aliquid, per quod videatur contrarium ejus debere esse, quod miramur; sicut aliquis posset*

(1) Vide S. Thom. 1. p. quæst. 105, art. 7; *de Potent.* quæst. 6, art. 2; *Cont. Gent.* lib. 3, cap. 101; 2.^o dist. 17, quæst. 1, art. 3; *Compend. Theol.* cap. 136. Cfr. Suarez, *de Angelis*, lib. 4, cap. 39, n. 8.

mirari, si videret ferrum ascendere ad calamitam, ignorans calamitæ virtutem, cum videatur quod ferrum naturali motu debeat tendere deorsum. Hoc autem contingit dupliciter: uno modo secundum se; alio modo quoad nos. Quoad nos quidem, quando causa effectus, quam miramur, non est occulta simpliciter, sed occulta huic vel illi; nec in re, quam miramur est dispositio repugnans effectui, quem miramur secundum rei veritatem, sed solum secundum opinionem admirantis: et ex hoc contingit, quod id, quod est uni mirum vel admirabile, non est mirum vel admirabile alteri, sicut sciens virtutem calamitæ per doctrinam vel per experimentum, non miratur prædictum effectum; ignorans autem miratur. Secundum se autem aliquid est mirum vel admirabile, cuius causa simpliciter est occulta, et quando in re est contraria dispositio secundum naturam effectui, qui apparet; et ista non solum possunt dici mira in actu, vel mira in potentia, sed etiam miracula quasi habentia in se admirationis causam. Causa autem occultissima et remotissima a nostris sensibus est divina, quæ in rebus omnibus secretissime operatur, et ideo illa, quæ sola virtute divina fiunt in rebus illis, in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum vel ad contrarium modum faciendi, dicuntur proprie miracula; ea vero, quæ natura facit, nobis tamen vel alicui nostrum occulta, vel etiam quæ Deus facit, nec aliter nata sunt fieri nisi a Deo, miracula dici non possunt, sed solum mira vel mirabilia. Et ideo in definitione miraculi ponitur aliquid, quod excedit naturæ ordinem, in hoc quod dicitur supra facultatem naturæ, cui ex parte rei mirabilis respondet, quod dicitur arduum. Et ponitur etiam aliquid, quod excedit nostram cognitionem in hoc quod dicitur præter spem admirantis apparens; cui ex parte rei mirabilis respondet, quod dicitur insolitum. Nam per consuetudinem aliquid in nostram notitiam familiarius venit (1).

Hactenus de natura miraculi: quod vero diversa ejus nomina spectat, vocatur etiam *signum*, *virtus*, *portentum*, et *prodigium*: quarum appellationum hanc reddit rationem Angelicus Doctor: In miraculis duo possunt attendi. Unum quidem est id, quod quidem est aliquid excedens facultatem naturæ: et secundum hoc miracula dicuntur virtutes. Aliud est id,

(1) S. Thom. de Potent. quæst. 6, art. 2. Cfr. loca nuper citata.

Discrimen
miraculi a signis,
virtutibus,
portentis
ac prodigiis;

propter quod miracula fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supernaturale: et secundum hoc communiter dicuntur signa; propter excellentiam autem dicuntur portenta vel prodigia, quasi procul aliquid ostendentia (1). Alibi tamen idem S. Doctor innuit signa et prodigia dari posse, quæ non sint veri nominis miracula (2).

Ex præjecta porro miraculi notione, facile distingues miraculum verum ab effectu *miro*, a *præstigio* et ab *opere magico*. A *miro* quidem effectu, quia miracula sunt contra vel præter ordinem naturæ, sive superent, sive non superent vires naturæ, quoad ipsam facti substantiam. Mirus autem effectus non postulat esse præter naturæ ordinem, sed satis habet, si a causa occulta et ignota procedat, quamvis ea naturalis sit. Præstigium non est, nisi mera illusio per immutationem ab aliquo agente intelligente et invisibili effecta in organis sive sensuum exteriorum sive imaginationis, ut aliter res aliqua appareat, ac est in se: unde etiam dictum est præstigium *ex eo, quod oculi hominum perstringuntur*, inquit S. Thomas. Magia demum est ars mira patrandi sive per occultas vires naturæ, sive per occultam industriam sive ex dæmonis interventu: quare opus magicum nihil in se continet, quod re vera superet ordinem totius naturæ creatæ. Verum adversus allatam miraculi notionem.

Obijcies 1.^o Magis mirum est, quod aliquid fiat a minus potente, quam a potentiori. Sed Deus est potentior, quam natura. Ergo si id quod natura operatur, non dicitur esse miraculum, v. g. sanatio alicujus febris, multo minus miraculum dici poterit, si illud Deus faciat.

Resp. dist. consequ. Si Deus illud faciat vires et modum naturalem adhibendo, *conc.*; secus *neg.* Ea enim quæ fiunt a natura, fiunt etiam a Deo; sed ea quæ Deus miraculose facit, non fiunt a natura: et ideo ratio non procedit. Et præterea natura operans est causa manifesta nobis, Deus autem est causa occulta; et propter hoc magis miramur opera Dei, quam opera naturæ (3).

(1) S. Thom. 2. 2. quæst. 178, art. 1 ad 3.^{um}

(2) S. Thom. de Potent. quæst. 6, art. 5, ad 1.^{um} Cfr. ib. corpus articuli.

(3) S. Thom. de Potent., quæst. 6, art. 2 ad 7.^{um}

itemque
a miro effectu,
præstigiis
et opere magico.

Objicies 2.^o Monstra quoque fiunt contra naturam, nec tamen dicuntur miracula. Ergo non omnia, quæ contra naturam fiunt, miracula dicenda sunt.

Resp. *dist.* Monstra fiunt contra naturam universalem, seu contra omnem ordinem naturæ, *neg.*; contra naturam particularem, *conc.* Nam licet monstra sint contra ordinem et exigentiam causæ efficientis; tamen spectatis his adjunctis naturalibus aliarum causarum, quæ impediunt, ne causa efficiens debito modo operetur, non possunt non fieri; ac proinde ratione habita omnium causarum et adjectorum ad efficientiam quomodolibet concurrentium monstra reapse naturalissima sunt. Et propterea diximus ad rationem miraculi requiri, ut superet ordinem totius naturæ creatæ, non autem hujus vel alterius particularis naturæ. Non sufficit, inquit S. Thomas, ad rationem miraculi, si aliquid fiat præter ordinem naturæ alicujus particularis, quia sic cum aliquis projicit lapidem sursum, miraculum faceret, cum hoc sit præter ordinem lapidis. Ex hoc ergo aliquid dicitur esse miraculum, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ (1).

Objic. 3.^o Miraculum ex doctrina S. Augustini debet esse aliquid arduum et insolitum, supra facultatem naturæ, et præter spem admirantis apparens (2). Atqui secundum allatam a nobis explicationem miraculum non est necessario ejusmodi. Nam præter vel supra naturæ ordinem fieri in primis possunt quædam, quæ ardua non sunt, sed valde levia, ut patet v. g. in sanatione febriculæ, vel in sustentatione lapidis in aëre absque fulcro, hæc enim sunt opera, quæ facillime per causas naturales fieri possunt. Deinde si ad miraculum satis est, ut sit supra naturam; ergo non necessario requiritur, ut raro fiat seu insolitum sit; et ita de facto frequenter evenisse miracula constat ex historiis, ut cum infirmi in plateis ponebantur, ut ad umbram S. Petri prætereuntis sanarentur (3). Item si miraculum est præter ordinem dumtaxat, non præcise requiritur, ut sit supra facultatem vel potentiam ac vires naturæ;

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 110, art. 4. Cfr. *de Potent.*, quæst. 6, art. 2 ad 8.^{um}

(2) Vide S. August. *de Utilitate credendi*, cap. 16.

(3) *Act. Apost.* cap. 5, v. 15.

atque adeo sanatio febris v. g. miraculum esse non poterit. Denique quamvis aliquid sit præter ordinem naturæ, non illico necesse est, ut sit præter spem admirantis, quemadmodum definit S. Augustinus; nam resurrectio mortuorum profecto præter naturam est, at nihilominus eam fideles omnes speramus. Ergo vel S. Augustini doctrina vel nostra circa rationem miraculi rejicienda erit.

Resp. doctrinam S. Augustini, si recte intelligatur, egregie cum S. Thoma ac nostra conciliari. Nam arduum, quod ponitur in (Augustiniana) definitione miraculi, non pertinet ad magnitudinem secundum se consideratam, sed per comparationem ad facultatem naturæ. Unde quod in quacumque parva re Deus operatur, quod creatura operari non potest, hoc arduum reputatur (1).

Deinde a San Augustino insolitum dicitur miraculum, quia est contra consuetum cursum naturæ, etiamsi quotidie iteraretur; sicut transubstantiatio panis in Corpus Christi frequentatur quotidie, nec tamen desinit esse miraculum: magis enim debet dici solitum, quod in toto ordine universali communter accidit, quam quod in una sola re contingit (2).

Tertio supra facultatem dicitur aliquid non solum propter substantiam facti, sed etiam propter modum et ordinem faciendi (3), ut patet ex dictis, magisque declarabitur, cum variae miraculorum species exponentur.

Denique supra spem... naturæ miraculum esse dicitur, non supra spem gratiæ, quæ est ex Fide, per quam credimus resurrectionem esse futuram (4).

111. Antequam ad divisiones miraculi gradum faciamus placet quasdam falsas descriptiones ejusdem improbare, quarum aliæ ab hostibus, aliæ a propugnatoribus ejusmodi operum proponuntur. Primum namque Benedictus Spinoza

(1) S. Thom., *de Potent.*, quæst. 6, art. 1 ad 1.^{um} Cfr. 1 p., quæst. 105, art. 7 ad 2.^{um}

(2) S. Thom. *de Potent.*, loc. cit. ad 2.^{um} Cfr. 1 p., quæst. 105, loc. cit.; 2.^a dist. 18, quæst. 1, art. 3 ad 2.^{um}

(3) S. Thom. 1 p., quæst. 105, art. 7 ad 2.^{um} Cfr. *de Potent.*, loc. cit. ad 3.^{um}; 2.^o dist. 18, quæst. 1, art. 3 ad 4.^{um}

(4) S. Thom. 1 p., quæst. 105, art. 7 ad 2.^{um} Cfr. *de Potent.*, loc. cit. ad 3.^{um}; 2.^o dist. 18, quæst. 1, art. 3 ad 3.^{um}

Defenditur et explicatur definitio miraculi data a S. Augustino. An et quomodo miraculum sit opus arduum,

insolitum.

supra facultatem

et præter spem admirantis

Excluduntur præposteræ miraculi descriptiones datæ a Benedicto Spinoza.

docuit nomen miraculi «non nisi respective ad hominum opiniones posse intelligi, et nihil aliud significare, quam *opus cujus causam naturalem exemplo alterius rei solitæ explicare non possumus*, vel saltem ipse non potest, qui miraculum scribit aut narrat» (1). A qua non multum discrepat Lockii doctrina dicentis miraculum esse «operationem sensibilem, quæ cum spectatoris caplum superet, ipsiusque opinione cursu naturæ constituto contraria sit, ab eo pro divina habetur» (2). Similem miraculi conceptum exposuere Kantius, Wegscheider, Gotlob Paulus alique (3). Verum in his aliisque id genus miraculi definitionibus aperte supponitur miraculosum effectum causam naturalem habere, quamvis spectatori occultam. In quo vides illico fraudulentam horum hominum rationem loquendi et ratiocinandi. Si enim miracula non sunt nisi effectus naturales, cur tanto horrore illorum veritatem impugnant? Et si tam absurda sunt tamque indigna, ut a viro erudito admitti queant, cur effectus naturales esse dicuntur? Itaque si vera sunt, quæ modo probavimus, omnes istæ descriptiones miraculi tamquam falsæ respuendæ sunt. Cæterum isti auctores, qui miraculum opus naturale esse scribunt, non omnes conveniunt in assignando peculiari charactere naturalium effectum, quibus nomen miraculi appingatur. Spinoza enim et Locke, ut ex eorum verbis apparet, rationem appellationis subjectivam afferunt, desumptam ex ignorantia causæ, quam tamen naturalem esse contendunt: alii eam repetunt ex necessitate quadam psychologica, qua vel ex pietate (4), vel ex affectu animi ærumnis obnoxii (5), ad opera quædam Deo adscribenda adigunt homines: alii rationem miraculi derivant ex fine, nimirum

(1) Spinoza, *Tract. theol. polit.*, cap. 6.

(2) Lockius, tract. de *Mirac.*, inter opera posthuma.

(3) Apud cl. Hettinger, *Teologia fundamental... traducion directa del aleman*, tom. 1, lib. 1, trat. 3, paragr. 21, pag. 211. Madrid 1883.

(4) Ita Paulus et Schleiermacher, quorum hæc est apud cl. Hettinger (loc. cit.) sententia: «La piedad puede hacer surgir la necesidad de considerar que un hecho depende de Dios, suprimiendo su dependencia y conexión con la naturaleza en general».

(5) Ita Feuerbach apud eundem Hettinger: «El milagro es el postulado del corazon humano con sus necesidades y flaquezas.»

Lockio,

Kantio,
Wegscheider,
Gotlob Paulo

ex eo quod effectus quidam naturales, ad finem religionis, ad patefaciendam videlicet efficientiam providentiæ, a Deo dirigantur (1). Verum hæc omnes explicationes non aliud probant, quam irritos conatus hominum a veritate aberrantium, qui cum videant aliquid esse in miraculo quibuscumque naturalibus operibus longe excellentius, nolintque cedere evidentiæ, veram illius indolem manifestissime demonstranti, effugium aliquod sollicitè quærunt, quo se recipiant, ut dum veritatem miraculorum indignissime adriuntur, nomen saltem retinere liceat. Et primo quidem quod nos ignoremus causam effectus alicujus, naturam certe illius non immutat: quare si effectus in seipso naturalis est, quantumvis nos causa lateat, mirus quidem esse poterit, et etiam miraculosus respective et quoad nos, non autem absolute ac simpliciter. Atque idem dic de psychologica illa, quam fingunt alii, necessitate effectus quosdam soli Deo attribuendi; donec ejusmodi necessitatis non agnoscatur objectiva ratio. Falsum quoque manifeste est effectum posse dici vere miraculosum ex eo solum, quod nobis efficientiam divinæ providentiæ demonstret; nisi velis universam naturam miraculum appellare. Quid enim est in natura, quin divinæ providentiæ operationem clamet?

Amandanda quoque procul est eorum opinio, qui quidquid operationem et interventum divinum sapiat vel in ipso naturali ordine, miraculosum vocant, eoque nomine aspernantur.

Reprehensionem præterea merentur miraculi descriptiones aliorum scriptorum, qui quamvis bono fine ducerentur, minus tamen caute gravissimam quæstionem pertractarunt. Samuel Clarkius cum omnem eripuisse materiæ vim et activitatem, omnia in natura fieri a Deo statuit, vel immediate per se vel per creaturas intelligentes, ac proinde naturæ cursum proprie loquendo non aliud esse, quam voluntatem Dei, prouti constanti quadam et uniformi ratione operatur. Hinc miraculum definivit: *effectum consueto naturæ ordini contrarium, ab alicujus entis intelligentis hominique superioris insueto interventu productum* (2). Verum doctrina hæc in primis falsissimo

et ab aliis;

itemque
a Samuele
Clarkio,

(1) Ita Wegscheider (*Instit.* paragr. 48).

(2) Clarke, *On the existence of God.*, chapt. 10.

occasionalismi fundamento innititur. Deinde supponit posse miracula etiam ab angelis patraari: quod falsum esse mox probabitur. Tertio falso supponit nullas esse in natura vires, nullas leges: ideo enim cursum naturæ in voluntate Dei uniformiter operantis reponit. Quamobrem effectus, quem dicit naturæ ordini contrarium, si res bene perpendatur, non est re vera *contrarius ordini naturæ*, sed *diversus* ab uniformi operandi modo, quem Deus ex libera sua voluntate servat. Verbo miraculum Clarkii miraculum non est.

Carolo Bonnet.

Excludenda pariter est notio miraculi a Carolo Bonneto datâ, secundum quem miraculum dici potest: *effectus consuetudo naturæ cursui contrarius, ex occulto causarum naturalium ordine, a Deo præparante, promanans*. Existimavit enim hic scriptor duos a Deo constitutos esse ordines duasque causarum series, ex quarum prima consuetudo naturæ cursus dimanet, ex altera vero insueti effectus ac præter consuetum naturæ cursum in certis quibusdam locorum, temporum personarum adjunctis a Deo paratis, originem habeant¹ (1). Quamobrem conclusit miracula comprehendî intra spheram legum naturæ, esseque modificationes earundem legum (2) A Bonneto parum discrepat quoad substantiam rei Houtteville; qui quamvis communem catholicorum Theologorum notionem miraculi minime rejiceret, ex qua etiam Spinozam refellit, aliam tamen excogitavit, ut se magis directe batavo Pantheistæ opponeret. Arbitratur enim Deum ab initio sic naturales causas disposuisse, ut ex legibus semel positis procederent omnes eventus, sive qui naturales, sive qui miraculosi a nobis dicuntur, qui tamen non minus naturales sunt, quam priores (3). Verum doctrina ista post hactenus dicta non eget peculiari refutatione; nam ex utriusque scriptoris opinione miraculum non est, nisi eventus mirus atque stupendus ex naturali, quamvis nobis incognita, legum harmonia ac temperatione profectus.

(1) Tongiorgi, *Cosmolog.*, n. 452, 2.^a Cfr. Perrone, *de vera Religione*, cap. 2, n. 114 in nota.

(2) Vide Bonnet, *Palingenesie philosophique*, p. 17, cap. 5, 6; et *Recherches philosophiques sur les preuv. du christianisme*, chap. 5.

(3) Vide Houtteville, *La Religion chretienne prouvée par les faits*, livr. 1, chap. 5.

Denique ut nullam omittamus ex præcipuis hac de re sententiis, non pauci Theologi acatholici miraculum putant esse tale opus, quod quantumvis naturale in se sit, conferat tamen ad naturam lapsam pristinae integritati restituendam efficiendamque organum spiritus (1). Verum quamvis concedi possit vera miracula, utpote quæ ad ordinem supernaturalem pertinent, religionisque revelatæ sunt præstantissima criteria vel notæ credibilitatis, eo ipso spectare ad ordinem elevationis ac restitutionem hominis ad pristinam integritatem, unde per peccatum exciderat; nihilominus miraculi descriptio exinde repetita in primis nimis vaga est; nec convenit soli definito, quia sunt intra supernaturalem ordinem multa opera, quæ miracula nequeunt proprie dici, ut v. g. collatio gratiæ per Baptismum vel alia sacramenta, et justificatio impii communi modo peracta, quia ut superius explicuimus quidquid fit eo modo quo natum est fieri, quamvis a solo Deo fiat miraculum proprie non est. Præterea miracula si sunt effectus causarum intra naturalem ordinem contentarum, ut supponunt adversarii, quamdiu nihil eisdem insit, quod naturam superet, vel quoad rei substantiam, vel certe quoad effectiois modum; revera non possunt pertinere ad ordinem supernaturalem, ut constat ex communi Theologorum doctrina. Relinquantur ergo omnes novitates, quæ naturam miraculi non explicant, sed depravant, immo et penitus evertunt.

112. Restat ut miraculi divisiones exponamus. Sæpe audies miraculum quoad nos vel respectivum, distinguere a miraculo quoad se et absolute. Sed ut ex dictis satis patet, hæc non est veri miraculi divisio; nam miraculum quod tale sit respective dumtaxat et quoad nos, non est opus naturæ ordinem superans, ideoque vere naturale est; quamvis nos causa illius lateat.

(1) «Muchos teólogos protestantes modernos, inquit el. Hettinger, consideran el milagro como un hecho natural por virtud del cual la naturaleza caída es restituida in integrum y convertida nuevamente en organo del espíritu. Rosenkranz, *Enciclopedia*, p. 261. Olshausen, *Comentario bíblico I*, p. 287. Lange, *Dogmática filosófica*, § 64. Liebner, *Dogmática cristiana*, § 17. Martensen, *Dogmática cristiana*, § 17. Ebrard, *Dogmática*, § 143. (Hettinger, loc. cit. pag. 211 fin.)

et ab aliis.

Miraculi divisiones.

prima.

Primo itaque dividuntur miracula in ea, quæ superant vires naturæ ratione sui, seu quoad substantiam facti, vel ratione subjecti in quo fiunt, vel ratione modi, quo patrantur: quæ tria membra egregie declarat S. Thomas: *Secundum quod magis excedit facultatem naturæ, secundum hoc majus miraculum dicitur. Excedit autem aliquid facultatem naturæ tripliciter. Uno modo quantum ad substantiam facti, sicut quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur; quod nullo modo natura facere potest: et ista tenent summum gradum in miraculis. Secundo aliquid excedit facultatem naturæ, non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit, sicut resuscitatio mortuorum, et illuminatio cæcorum et similia: potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo, et potest præstare visum, sed non cæco; et hæc tenent secundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturæ quantum ad modum et ordinem faciendi, sicut cum aliquis subito per virtutem divinam a febre curatur absque curatione, et consueto processu naturæ in talibus; ut cum statim ær divina virtute in pluviam densatur absque naturalibus causis, sicut factum est ad preces Samuelis et Eliæ (I Reg. XII, et III. Reg. XVIII.); et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis. Quælibet tamen horum habent diversos gradus, secundum quod diversimode excedunt facultatem naturæ (1).*

secunda.

Alia est divisio miraculorum in ea, quæ sunt supra naturam, contra naturam et præter naturam, prout idem S. Doctor alibi explicat: *Circa ea, quæ Deus miraculose facit, talis solet adhiberi distinctio, quod quedam dicantur fieri supra naturam, quedam contra naturam, quedam præter naturam. Supra naturam quidem, in quantum in illum effectum, quem Deus facit, natura nullo modo potest: quod quidem contingit dupliciter, vel quia ipsa forma inducta a Deo, omnino a natura induci non potest; sicut forma gloriæ, quam inducet Deus corporibus electorum, et sicut etiam incarnatio Verbi: vel quia etsi talem formam possit in aliquam materiam inducere, non tamen in istam: sicut ad causandum vitam natura potens est, sed quod in hoc mortuo natura vitam causet, hoc*

(1) S. Thom. 1 p. quest. 105, art. 8.

facere non potest. Contra naturam esse dicitur, quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum, quem Deus facit, sicut quando conservavit pueros illæsos in camino, remanente virtute comburendi in igne, et quando aqua Jordanis sileit, remanente gravitate in ea; et simile est, quod virgo peperit. Præter naturam autem dicitur Deus facere, quando producit effectum, quem natura producere potest, illo tamen modo, quo natura producere non potest, vel quia deficiunt instrumenta, quibus natura operatur, sicut cum Christus convertit aquam in vinum (Joan. II): quod tamen natura aliquo modo facere potest, dum aqua in nutrimentum vitis assumpta, suo tempore in succum uvæ per digestionem producit, vel quia est in divino opere major multitudo, quam natura facere consuevit, sicut patet de ranis, quæ sunt productæ in Egipto; vel quantum ad tempus, sicut cum statim ad invocationem alicujus sancti aliquis curatur, quem natura non statim, sed successive, et in alio tempore, non in isto curare posset; et sic acciit in miraculo inducto de socra Petri. Unde patet, quod omnia hujusmodi, si accipiatur et modus et factum, facultatem naturæ excedunt (1).

ARTICULUS II.

De causa efficiente et finali miraculorum.

113. Quoniam de miraculorum causa materiali et formali nulla specialis occurrit difficultas, ad solam efficientem et finalem animum convertimus, quarum tractatio ad ipsam miraculorum naturam magis illustrandam haud parum juvabit. Cæterum in his, quæ dicenda sunt, sæpe quidem ita loquimur, ut si miracula reapse non repugnarent, quemadmodum non repugnare inferius invicte demonstrabimus, et novimus etiam ex Fide. Quæcumque ergo ad majorem rei explicationem dicentur supponendo possibilitatem, immo et existentiam miraculorum, nunc concedi vel permitti nobis postulamus. Ac postea probabimus non repugnare miracula

(1) S. Thom. de Potent. quest. 6, art. 2 ad 3.^{am} Cfr. Cont. Gent. lib. 3, cap. 101; 2.^o dist. 18, quest. 1, art. 3.

talia, qualia hactenus descripsimus, talesque causas efficientes ac finales habentia, quales in præsentî articulo describendas assumimus.

§ I.—EFFICIENS CAUSA MIRACULORUM.

Status
questionis
apertur.

Hic animo recolendæ sunt ante omnia divisiones causæ efficientis in principalem et instrumentalem, et in physicam et moralem, quas in *Ontologia* descripsimus (1). Non enim est controversia de causa instrumentali, sed de principali; nec de morali, sed de physica. Convenit enim apud omnes posse homines sanctos, necum angelos, precibus obtinere miracula, eademque etiam patrare tamquam ministros Dei vel tamquam instrumenta per altioiorem virtutem divinitus acceptam. Dubitatur autem, utrum saltem angeli, sive boni sive etiam mali, sua propria et ingenita virtute, nec solum ut ministri Dei, sed tamquam principalis causæ, possint vera efficere miracula; nam de hominibus certum comperitque est apud omnes, quod non possint. Ideo etiam solet hæc controversia et sub illis terminis proponi, utrum ad rationem miraculi requiratur, quod superet virtutem totius naturæ creatæ, tum visibilis et corporeæ, tum invisibilis et incorporeæ, an vero solum quod excedat vires dumtaxat naturæ visibilis et corporeæ, ita ut quæcumque res saltem eo modo, quo peragitur, fieri non possit per corpoream dumtaxat naturam, illico verum ac proprium miraculum habendum sit, etiamsi potuerit fieri ope substantiarum creatarum invisibilium, angelorum, per suam naturalem virtutem. Avicenna eo innixus falso principio, quod angeli efficiant in corporibus formas substantiales, habeantque virtutem suo imperio imprimendi materiæ aliquas formas etiam præter ordinem corporalium agentium, ut videtur est apud Anglicum Doctorem (2), arbitratus est posse angelos edere miracula. Non desunt etiam nostris temporibus graves scriptores, qui videantur Angelis largiri virtutem edendi miracula vera, quamvis *minora* vel *relativa* vel *secundî ordinis*,

Opinio prima,

(1) Vid. *Ontolog.*, n. 391; 392, pag. 1116 seqq.

(2) *De Potent.*, quest. 6, art. 2 et alibi.

quæ nempe vires et facultatem excedant naturæ visibilis et corporeæ: unde etiam ad rationem miraculi non requirunt, quod superet ordinem et facultatem *totius naturæ creatæ*, sed visibilis et corporeæ dumtaxat (1).

Communior tamen doctrina Theologorum cum S. Thoma (2), S. Bonaventura (3), Alexandro Halensi (4), Suarezio (5), cui perperam aliqui contrarium appingunt, Bellarmino (6) ac cæteris Scholasticis, tenet angelos propria virtute miracula patrare non posse, atque adeo solum Deum esse causam eorumdem efficientem. Et ita video etiam multos sentire recentiores Theologos et Philosophos, ut Em. Card. Mazzella (7), Tongiorgi (8), cl. Liberatore (9), cl. Lahousse (10), cl. Schiffini (11), Hettinger (12), quorum mihi probabilior sententia videtur.

altera
communior
et probabilior.

114. PROPOSITIO 1.^A Solus Deus potest miracula proprie dicta patrare.

Prob. 1.^o Cum S. Thoma. *Miraculum proprie dicitur, cum aliquid fit præter ordinem naturæ. Sed non sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat præter ordinem naturæ alicujus particularis: quia sic cum aliquis projicit lapidem sursum, miraculum faceret, cum hoc sit præter ordinem naturæ lapidis. Ex hoc ergo aliquid dicitur esse miraculum, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ. Hoc autem non potest facere nisi*

Solus Deus
potest miracula
patrare.

(1) Ita v. g. cl. P. Pesch (*Philosoph. natur.*, n. 660, 662), cl. P. Van der Aa (*Theolog. natur.*, prop. 67, 70), cl. P. Mendive (*Cosmolog.*, n. 144 seqq.), Cuevas (*Cosmolog.*, n. 24); quibus omnibus præverant Benedictus XIV, vel Prosper-Lambertini (*de Servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione*, lib. 4, part. 1, cap. 1).

(2) 1 p., quest. 110, art. 4; lib. 3.^o *Contr. Gent.*, cap. 102, 103; *de Potent.*, quest. 6, art. 3.

(3) 2.^o dist. 7, part. 2, art. 2, quest. 2.

(4) 2 p., quest. 42, 43.

(5) *De Angelis*, libr. 4, cap. 39, a n. 2.

(6) *De notis Ecclesiæ*, IV, 14.

(7) *De Religione*, disp. 1, art. 9.

(8) *Cosmol.*, n. 439.

(9) *Cosmolog.*, n. 170.

(10) *Cosmolog.*, n. 591.

(11) *Metaphys. specialis, Theol. natur.*, n. 600.

(12) *Theol. fundamental.* 1.^a part., lib. 1, sect. 2, tract. 3, paragr. 21.

Deus: quia qui quid facit Angelus, vel quæcumque alia creatura propria virtute, hoc fit secundum ordinem naturæ creatæ: et sic non est miraculum. Unde relinquitur quod solus Deus miracula facere possit (1).

Prob. 2.^o Angeli tam boni, quam mali, sive per se sive per homines possunt quidem efficere per modum artis quædam mira opera, quæ sint miracula quoad nos, non autem quæ talia sint in se proprie ac simpliciter. Ergo solus Deus propria virtute miracula vera patrare potest.

Consequentia patet. Nam de solis angelis, sive bonis sive malis, est hæc in re dubium et controversia inter auctores: si autem probatur negandam illis esse potestatem veri nominis miracula efficiendi, a fortiori neganda erit entibus sequioris conditionis.

Antecedentis ergo probatur prima pars: *Angeli tam boni, quam mali, possunt efficere per modum artis quædam opera mira vel miracula quoad nos.* Sane ut ex Theologia nunc supponimus, habent spiritus angelici cognitionem perfectissimam naturæ corporeæ vimque maximam, qua et attollere valeant corpora etiam immanis molis ac ponderis, et alio celerrime transferre; cumque aliunde invisibiles sint, possunt occulte multa efficere prorsus insolita et contra ordinem particularem corporeæ naturæ; vel sublimem arripiendo hominem ac celeriter moyendo, quasi volaret, vel corpora ex oculis subito eripiendo, aut invisibilia reddendo, vel ignem aliunde advectum subito domui applicando, vel panem, frumentum, aliud quidvis procul distans celerrime in medium proferendo, quasi tum miraculose produceretur; vel insignia phenomena et spectacula ope lucis et electricitatis aliaque similia exhibendo; vel corpus hominis aut animalis aliud quodvis ingrediendo, et in illo loquelam imitando et plura agendo supra facultatem humanæ naturæ posita; item activa passivis applicando, varias possunt corporum combinationes peragere, morbosque adhibitis aptis medicaminibus curare. Hæc aliaque id genus duplici ex capite mira spectatoribus existere possunt, vel quia insolita sunt et portentosa, vel quia ea ipsa, quæ communia sunt, et a causis corporeis fieri sæpe

(1) S. Thom., 1.^a p., quest. 110, art. 4.

Angeli
possunt
virtute sua
efficere

multa mira
et insolita,

solent naturaliter, occulte et insolito modo fiunt, et omnino quasi nullam causam naturalem haberent; quia nempe neque ipsi angeli, cum sint spirituales, neque causæ physicæ, quas celerrime applicant, patere corporei oculi obtutibus queunt. Cæterum tota hæc operatio angelorum est per modum artis, nam artis est per vias ac principia naturalia apte et ordinate adhibita, effectus obtinere, qui eo saltem modo a natura sibi relicta non possent produci. Hoc modo per machinas periti artifices naturam quodammodo elevant ad plura suis viribus scite compositis ac directis fabricanda opera, utilissima sanè ac mirabilia, ope vaporis aquei, electricitatis aliorumque agentium naturalium: itemque chimici applicando activa passivis, corpora nempe, quæ certas habent invicem affinitates chemicas ad compositiones vel dissolutiones peragendas, et medici convenientia remedia adhibendo quædam faciunt eo modo ac tempore vel ordine ac perfectione, qua non posset natura sine artis directione. Simili ergo pacto angeli mira efficiunt per modum artis; *quamvis in effectibus huiusmodi producendis ars angeli boni vel mali efficacior est, et meliores effectus facit, quam ars humana;* tum quia propter perfectiorem rerum cognitionem possunt aptius eligere tempora et adjuncta convenientia operandi, tum quia ipsas *virtutes activas et passivas in corporibus inferioribus melius noverunt, quam homines, et facilius ac celerius applicare possunt ad effectum, utpote qui imperio suo corpora localiter movent (1).*

Et hæc quidem dicta sint de realibus effectibus, quos angeli efficere possunt instar miraculorum. Præterea possunt illud fingendo ea, quæ non dantur a parte rei. Idque bifariam efficere valent: primo per præstigias immutando phantasiam

itemque
multa fingere
quæ non sunt,
illudendo
sensibus.

(1) S. Thom. de Potent., quest. 6, art. 3. Alium quoque modum excellentiæ artis angelicæ supra humanam adjungit (ibid. et lib. 3.^o Contr. Gent., cap. 103, in fine) S. Thomas, buatenus nempe angelus uti possit natura corporea tamquam instrumento ad operandum, unde illa virtutem aliquam ad majus quidpiam efficiendum sortiatur, ut instrumentum substantiæ spiritualis. Hic tamen modus non omnibus auctoribus arridet. Vid. Suar. de Angelis, lib. 4, cap. 39, n. 9.

hominis interius (1), vel sensus externos (2), ut aliquid appareat, quod reapse non adest; possunt enim species sensibiles olim perceptorum objectorum in imaginationis thesauro servatas excitare magna vi, vel etiam novas in externos sensus, imprimere aptas corporibus non præsentibus repræsentandis: quorum alterutrum si fiat, illico sensibus apparebunt objecta, quæ vel jam non existunt, vel remotissimo in loco versantur. Alio modo, quia et possunt angeli ex aère aut alia materia corpus cujuscumque formæ et figuræ assumere, ut in eo visibiliter appareant, quemadmodum explicat S. Thomas (3).

Quosque
hæc uti naturali
virtute licet
angelis.

Quod vero attinet usum hujus potestatis naturalis, quam habent angeli, sive boni sive mali: boni quidem tum ex divinæ providentiæ ordinatione, tum etiam ex insito bonitatis ac veritatis amore non faciunt, nisi jubente Deo, quidpiam, quod corporearum ac visibilium causarum ordinem perturbaret. At mali, quamvis integram retineant etiam post peccatum naturalem virtutem, eaque vellent sæpe abuti, omnia desque vertendo in perniciem generis humani, divino tamen imperio ligantur, quasi rabidi canes, ne mordeant, neve plurima, quæ possent, mala inferant, præter ordinem naturæ visibilis. Quare scribit Angelicus: *Sicut Angeli boni per gratiam aliquid possunt ultra naturalem virtutem; ita Angeli mali minus possunt ex divina providentia reprimente, quam possint secundum naturalem virtutem: quia ut Augustinus dicit (3.^o lib. de Trinit., cap. 9 a med.), quædam quæ Angeli mali possent facere, si permittentur, ideo facere non possunt, quia non permittuntur. Unde secundum hoc ligari dicuntur, quod impediuntur ab illis agentis, ad quæ eorum naturalis virtus se extendere posset; solvi autem, cum permittuntur agere divino judicio, quæ secundum naturam possunt.* (4). Qua de re

(1) S. Thom. 1 p., q. 111, art. 3, ubi quomodo id fieri possit declarat.

(2) S. Thom. 1 p., q. 111, art. 4; de Malo quæst. 16, art. 11. Cfr. de Verit. quæst. 11, art. 3, quæst. 12, art. 8; 2.^o dist. 8, quæst. 1, art. 5 ad 4.^{um}

(3) 1 p., quæst. 51, art. 2 et 3; 2.^o dist. 8.^a quæst. 1, art. 2, 3, 4; 5; 1 p., quæst. 114, art. 4 ad 2.^{um}

(4) S. Thom. de Potent., quæst. 6, art. 5. Cfr. 1. 2. quæst. 80, art. 2; et Suarez, de Religione, lib. 2, cap. 16, n. 2.

videri potest S. Augustinus (1). Quandoque tamen Deus ob secretissimos fines permittit malis angelis naturali sua virtute uti ad patranda quædam mirabilia, ut cum Christum Dominum *assumpsit... diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi* (2); et cum universam familiam *Job cum gregibus pecorum uno impetu consumpsit, et turbo domum dejiciens filios ejus occidit* (3).

Et ita etiam tempore *Antichristi potestas diaboli solvenda dicitur* (4), in quantum ei multa facere permittentur, quæ modo non permittuntur: unde et operabitur multa ad eorum seductionem, qui hoc meruerunt, non acquiescendo veritati (5). Quo etiam spectant quædam mirabilia, quæ sinuntur patrare dæmones per operationes magorum aliorumque similium nebulonum (6). Huc revocari possunt multa, quæ narrantur de Simone Mago, de Apollonio Tyanæo aliisque, ac nostris diebus de Magnetismo et Spiritismo.

Possunt ergo angeli, tam boni quam mali, per modum artis multa mira facere.

Probatur secunda pars antecedentis: *Angeli nequeunt facere vere ac proprie dicta miracula.* Triplex genus operationum mirabilium, quæ in angelorum sunt potestate retulimus in prima parte probationis: primum consistit in fictis phænomenis edendis sive per illusionem sensuum, tum interiorum tum exteriorum, sive assumendo corpora; alterum est verorum effectuum physicorum per appositionem naturalium causarum, applicando activa passivis; tertium genus

Veri
tamen nominis
miracula
nequeunt angeli
sua virtute
efficere:

(1) De Civit. Dei, lib. 2, cap. 23, n. 2; lib. 18, cap. 18, n. 2; de Trinit., lib. 3, cap. 9.

(2) Mat. cap. 4, v. 5.

(3) Job., cap. 1, v. 19 seqq. Vide S. Thom., 1 p., quæst. 114; et S. August., de Civit. Dei, lib. 20, cap. 19 pop. fin. Cfr. de his Benedictus XIV, op. cit., lib. 4, cap. 3, n. 12.

(4) Cfr. 2 Thessalonic., cap. 2, v. 8.

(5) De Potent., quæst. 6, art. 5 fin. Cfr. 2.^o dist. 7, quæst. 3, art. 1; 2.^o 2.^a quæst. 178 art. 1 ad 2.^{um}

(6) Vide S. Thom., de Potent., quæst. 6, art. 10; Contr. Gent., lib. 3, cap. 105, 106, 107; Benedict. XIV de Serv. Dei Beatific. etc., lib. 4, cap. 3, n. 3; De Bonniot, La Miracule et ses Contrefaçons, Deuxième partie, a pag. 120, 1.^a edit. Paris 1888; et passim etiam Theologos in tract. de Religione.

operationum comprehendit motus locales corporum summa et impercepta celeritate peractos. Jam quidquid primo modo fiat, certum est miraculum non esse; miracula enim sunt vera ac realia opera, non meræ illusiones.

Probatum autem facile, quod neque effectus physici a naturalibus causis procedentes nomen miraculorum mereantur. Nam si quod opus fiat applicando aptas causas naturales, nequit re vera dici in seipso superare ordinem et vires naturæ etiam visibilis et corporeæ. Pone v. g. esse remedium efficacissimum in natura ad certum morbum depellendum, illudque occulte ab angelo adhiberi, ac mox ejusdem virtutis morbum sanari. Quid, quæso, discreparet essentialiter sanatio eo pacto ab angelo peracta a sanatione, quam medicus eodem adhibito medicamine posset obtinere? Profecto nihil, nisi quod remedium ab angelo applicatum non videretur ab adstantibus; ac proinde sanatio illa vere esset effectus naturalis a causa naturali et corporeæ, quamvis occulta et latente, productus. Atqui effectus in se naturalis, et hic et nunc virtute naturali et corporeæ productus, miraculum dici nequit, ut patet ex communi catholicorum sententia, præposteras quorundam miraculi definitiones respicientium, ut superius vidimus. Ergo effectus physici, qui ab angelis per applicationem virium naturalium, quantumvis occulto et invisibili modo obtinentur, miracula veri nominis non sunt; sed tantum dici poterunt miracula *quoad nos* vel respectiva.

Restat, ut probemus neque effectus mechanicos naturali angelorum virtute editos rationem miraculi attingere. Probatum autem eodem argumento. Etenim effectus, qui a naturalium causarum quantumvis invisibilium et occultarum, virtute ac modo eidem virtuti consentaneo proficiscuntur, minus recte dicuntur miracula, si vocem hanc in proprio sensu accipere velimus (1). Atqui angeli etiam causæ naturales sunt, quamvis invisibiles et occultæ, effectusque mechanici, quos propria virtute producunt, modo eorum activitati prorsus consentaneo procedunt. Ergo effectus mechanici, quos angeli naturali virtute possint edere, sive in altum attollendo,

(1) Cfr. S. Thom., lib. 3.^o *Contr. Gent.*, cap. 102, *Item*.

ac sustentando corpora, sive in alium locum celerrime transvehendo, quamvis stupendi nobis videantur, non sunt in sensu proprio et stricto miracula.

Confirmatur. Nam nulla ratio apparet, cur ea, quæ supra vel contra naturam aliquam particularem v. g. ab homine, manu tenente lapidem, ne ruat in terram ratione gravitatis, vel ab aqueo vapore, ingentes machinas celeriter movente, non sint miracula; ea vero, quæ a substantia spirituali fiunt supra vel contra quamlibet visibilem et corpoream naturam, miracula dici debeant. Quid enim est peculiare in angelo, nisi vel quod virtus eorum se extendat ad magis ingentes effectus, quam hominis vel vaporis vel cujusvis alterius corporis virtus, vel quod celerrime operetur ac modo invisibili? Verum si prima vel altera ratio quidpiam valeret, illi soli angelorum effectus mechanici, qui superiores sint totius corporeæ naturæ viribus, dicendi essent miraculosi, non esset autem miraculum si v. g. hominem angelus e terra sublimem teneret, lenteve alio transferret: quod certe neque admittent, puto, adversarii, nec videtur possibile, siquidem effectus ab eadem angeli virtute procedens, sive major sive minor in se sit, sive magis aut minus celeriter obtineatur, ejusdem est speciei ac naturæ. Neque etiam valet, quod angeli modo invisibili nobis operentur propter suam spiritualitatem. Jam enim sæpius diximus ubicumque effectus pure naturalis adest, hic et nunc a causa et virtute naturali procedens, licet ea nos lateat, miraculum in se esse non posse. Plura dabunt de his S. Tomas et Suarez (1).

Itaque *si miraculum proprie accipiatur, dæmones miracula facere non possunt, nec alia creatura; sed solus Deus: quia miraculum proprie dicitur, quod fit præter ordinem totius naturæ create, sub quo ordine continetur omnis omnis virtus creata. Dicitur tamen quandoque miraculum large, quod excedit humanam facultatem et considerationem; et sic dæmones possunt facere miracula, quæ scilicet homines mirantur, in quantum eorum facultatem et cognitionem excedunt. Nam et unus homo, in quantum facit aliquid, quod est supra facultatem*

(1) Locis superius citatis.

et cognitionem alterius, ducit alium in admirationem sui operis, ut quodammodo miraculum videtur operari (1).

115. PROPOSITIO 2.^a Virtute divina possunt patrare miracula tum angeli tum etiam homines.

Propositio hæc constat ex narratione sacrarum Litterarum aliorumque librorum fide dignissimorum, qui multa referunt miracula a viris sanctis et ab angelis effecta. Cum ergo hi propria virtute naturali tantam potestatem non habeant; necesse est dicere divinæ gratiæ auxilium in talibus operibus intervenisse. Cæterum tres modos generatim assignat S. Thomas, secundum quos Angeli boni miracula queant divinitus facere, precibus impetrando, materiam disponendo, et coagendo instar instrumenti: e quibus secundus modus proprius cælestium spirituum est, primus ac tertius cum illis communis est sanctis quoque hominibus. Sed præstat audire Aquinatem: *Angeli supra naturalem potestatem, quam habent agendi, possunt aliquid per donum gratiæ, in quantum sunt divinæ virtutis ministri. Et potest dici, quod ad miracula facienda Angeli tripliciter operantur: uno modo precibus impetrando, qui modus est angeli et hominibus potest esse communis. Alius modus est, secundum quod angeli materiam disponunt sua virtute naturali ad hoc, quod miraculum fiat; sicut dicitur, quod in resurrectione colligent pulveres mortuorum, qui divinæ virtute reducentur ad vitam. Sed hic modus proprius est Angelorum: nam humani spiritus cum sint corporibus uniti; in exteriora operari non possunt nisi corpore mediante, ad quod sunt quodammodo alligati. Tertius modus est, quod operentur etiam aliquid coagendo..... Qualiter autem hoc esse possit, considerandum est. Constat autem, quod Deus solo imperio miracula operetur. Videmus autem, quod imperium divinum ad inferos rationales spiritus, scilicet humanos, mediantibus superioribus, scilicet Angelis, pervenit, ut in legis veteris latrone apparet; et per hunc modum per spiritus angelicos vel humanos imperium divinum ad corporales creaturas pervenire potest, ut per eas quodammodo natura præsentetur divinum præceptum; et sic*

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 114, art. 4. Cfr. 2.^o dist. 18, quæst. 1, art. 3 ad 5.^{um}

agant quodammodo spiritus humani vel angelici ut instrumentum divinæ virtutis ad miraculi perfectionem: non quasi aliqua virtute habitualiter in eis manente, vel gratuita vel naturali, in actum miraculi possint; quia sic quocumque vellent, miracula facere possent, quod tamen Gregorius (1) non esse verum testatur, et probat per exemplum Pauli, qui stimulum a se removeri petiit, nec intravit et per exemplum Benedicti, qui detentus fuit contra suam voluntatem per pluviam sororis precibus impetratam. Sed virtus ad cooperandum Deo in miraculis in Sanctis intelligi potest ad modum formarum imperfectarum, quæ intentiones vocantur, quæ non permanent nisi per præsentiam agentis principalis, sicut lumen in aëre et motus in instrumento (2), impressus nempe illi a causa principali. Et sic verum est, etd solum Deus miracula faciat per auctoritatem, id est propria virtute, ut ipsemet S. Doctor vocem istam explicat (3), et potestatem miracula faciendi creaturæ communicat secundum capaciatem creaturæ et divinæ sapientiæ ordinem, ita quod creatura per gratiam miracula ministerio operetur (4). Hinc est etiam, quod operatio miraculorum inter gratias, quas dicitur gratis datas, numeretur ex theologica doctrina (5).

Et quoniam potest Deus gratiam huiusmodi secundum ordinem suæ sapientiæ cuilibet communicare, possunt etiam mali homines divinitus miracula facere, invocato nomine Dei, ad veræ Fidei ostensionem vel ad confirmationem revelatæ doctrinæ (6); idque videtur diserte doceri in sacro Evangelio (7). Dæmonibus autem negat S. Thomas communicari unquam potestatem vel virtutem faciendi quidpiam, quod sit supra facultatem ipsorum (8).

(1) In 2.^o Dialog., cap. 30.

(2) S. Thom. de Potent., quæst. 6, art. 4. Cfr. 1 p., quæst. 110, art. 4 ad 1.^{um}

(3) S. Thom. Opusc. 11, Responsio ad Lectorem Venetum, art. 18.

(4) S. Thom. de Potent., loc. cit. fin.

(5) Vide S. Thom. 2. 2. quæst. 178.

(6) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 110, art. 4 ad 2.^{um}; 2. 2. quæst. 178, art. 2; de Potent., quæst. 6, art. 5 ad 0.^{um}; Quod lib. 2, art. 6 ad 4.^{um}

(7) Matt., cap. 17, v. 22. Qua de re videatur Benedictus XIV, op. cit., lib. 4, cap. 3, a. n. 15.

(8) S. Thom. de Potent., quæst. 6, art. 5.

at virtute
divina possunt
non solum angeli,
sed etiam
homines,

et quidem
trifariam,

Utrum
sancti sint
causæ solum
morales, an
etiam physicæ,
miraculorum.

Illam tamen quæstionem Theologis discutiendam relin-
quimus, utrum sancti homines, cum tamquam instrumenta
dicuntur hoc tertio modo assumi a Deo ad operandum,
immo utrum ipse Christus Dominus secundum suam Hu-
manitatem, sint causæ dumtaxat morales, an vero physicæ
miraculorum. Quia de re non una est auctôrum sententia:
alii enim existimant sanctos homines, et idem intellige de
sacratissima divini Verbi Humanitate, causas esse dumtaxat
morales ita, ut ad vocem vel tactum vel præsentiam eorum
solum Deus operetur; alii vero cum S. Thoma (1), Suarez (2),
multisque præstantissimis Doctoribus, arbitrantur sanctos
vere etiam concurrere ad miraculum actione reali ac physica,
dum manu contingunt v. g. ægrotum ad sanandum etc.
Verum hæc Philosophiæ limites transcendunt.

116. Dices 1.^o De mente S. Thomæ hac in re jure me-
rito dubitari potest. Nam quamvis doceat miraculum esse
præter ordinem totius naturæ creatæ, mox tamen addit, *quia
non omnis virtus naturæ creatæ est nota nobis, ideo cum aliquid
fit præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ per virtutem
creatam nobis ignotam, esse miraculum quoad nos*. Ac
subinde veritatem explicat illius Augustinianæ sententiæ (3):
*Magi faciunt miracula per privatos contractus; boni christiani
per publicam justitiam; mali christiani per signa publicæ justi-
tiæ* (4). Alibi (5) idem Aquinas concedit causas naturales,
cum ab Angelis applicantur ad aliquos effectus miros occulte
per modum artis producendos, aliquam virtutem majorem
ab ipsis participare, sicut solent instrumenta ex motu et
applicatione causæ principalis. *Et hoc, inquit magis accedit ad
rationem miraculi*. Atqui «ex his... inferri videtur, effecta
insolita et admiranda, quæ excedunt vires et facultatem na-
turæ creatæ visibilis et corporeæ nobis notæ, miracula esse,
etsi non excedant vires et facultatem naturæ creatæ invisibi-
lis et incorporeæ; miracula, inquam, minora miraculis, quæ

(1) Vide S. Thom. de *Potent.*, quæst. 6, art. 4 etc.

(2) De *Incarnatione*, disp. 31, sect. 3.

(3) S. August. in lib. 83 *Question.*, quæst. 79 a med.

(4) S. Thom. 1 p., quæst. 110, art. 4 ad 2.^{am}

(5) Vide v. g. de *Potent.*, quæst. 3; et lib. 3.^o *Contr. Gent.*,
cap. 103 fin.

excedunt vires et facultates naturæ non modo visibilis et
corporeæ, sed invisibilis et incorporeæ». Ita Benedictus XIV
vel Card. Prosper Lambertini (1), qui mox in ejusdem do-
ctrinæ patrocinium advocat inter paucos alios minoris nomi-
nis Ferrariensem (2) et Eximium Doctorem (3).

Resp. Verum pace dicam tanti viri, mihi nullum dubium
remanet hac in re de mente Aquinatis. Sæpe enim S. Tho-
mas data opera quæstionem istam versans, constanter re-
spondet *solum* Deum miracula proprie ac simpliciter dicta
patrare (4). Unde in ipso primo loco, qui objicitur, diserte
docetur ad rationem proprie miraculi requiri, ut superet or-
dinem *iotius naturæ creatæ* (5); id quod non raro repetit, ut
cum scribit *miraculum, si proprie accipitur, demones miracula
facere non posse, nec aliquam creaturam, sed solum Deum* (6);
et vera miracula non posse fieri nisi virtute divina (7); ex
qua etiam doctrina concludit, quod miracula per Christum
facta argumentum fuerunt ejusdem divinitatis, quia nempe
propria auctoritate et imperando faceret ea, quæ sola divina
virtute fieri possunt (8). Hinc tandem miracula proprie ac
simpliciter talia contraponit miraculis, quæ sunt talia *large*
et solum *quoad nos*, aut per *modum artis* efficiuntur (9).
Audi insignem locum S. Doctoris, qui huic quæstioni sibi
propositæ: *An omnia miracula, quæ fiunt ab aliqua creatura*

(1) Oper. citat., lib. 4, part. 1, cap. 1, num. 14.

(2) In 3.^{am} lib. *Contr. Gent.*, cap. 103.

(3) De *Angelis*, lib. 4, cap. 39, n. 10.

(4) Vide 1 p., quæst. 110, art. 4; quæst. 114, art. 4; 1. 2. quæst. 113,
art. 10; de *Potent.*, quæst. 6, art. 3; 3; lib. 3. *Contr. Gent.*, cap. 102
seqq., et alibi.

(5) Relege integrum locum, qui nuper exscriptus est ad proban-
dam primam propositionem.

(6) 1 p. quæst. 114, art. 4; 1. 2. quæst. 113, art. 10; 3.^o *Contr.*
Gent. loc. cit.; *Compend. Theol.* cap. 136.

(7) 1. 2. quæst. 113, art. 10; 2.^a 2.^{am} quæst. 478, art. 2; 3 p.
quæst. 43, art. 2.

(8) 3.^o dist. 16, quæst. 1, art. 3, corp. et ad 4.^{am}; 3 p., quæst. 43,
art. 4, corp. et ad 3.^{am}

(9) S. Thom. 1 p., q. 110, art. 4 ad 2.^{am}; q. 114, art. 4; *Comp.*
Theol. c. 136; lib. 3.^o *Cont. Gent.* c. 102, Item; de *Potent.* q. 6, art. 3,
corp. et ad 10.^{am}; art. 5, corp. et ad 1.^{am} et 5.^{am}

ministerio, fiant auctoritate Dei, idest per virtutem ejus, sine qua nihil potest fieri; sic respondet: *Dicitur quod verum est, si de veris miraculis intelligatur: et dico vera miracula, quæ nulla naturali virtute alicujus creaturæ fieri possunt. Sunt tamen aliqua non simpliciter miracula, sed quoad aliquos, qui eorum causas ignoranti, sicut quædam arte humana facta miracula ignorantibus artem videntur, et multo magis arte angelica; et talia possunt fieri virtute alicujus creaturæ, licet non exclusâ virtute divina* (1). Ex primo ergo loco Aquinatis, qui objiciebatur, mihi certum est nihil posse concludi contra stabilitatem doctrinam.

Verum neque ex altero: dicere enim quædam opera angelorum magis accedere ad rationem miraculi, certe non est dicere illa rationem miraculi habere, nisi velis accedere perinde esse, ac *assequi vel attingere*. Ceterum quomodo interpretanda sit illa S. Augustini doctrina, scribentis magos facere miracula per privatos contractus etc. lege ipse, si vis apud S. Thomam (2).

Ferrariensis autem sententiam Doctoris Angelici in loco objecto sequitur, itemque Suarezius, qui hanc sibi tuendam propositionem suscipit, *non posse Angelos propria virtute vera miracula facere* (3), quam doctrinam dicit certam censi in Theologia (4), esseque communem inter Theologos, eamque veram (5). Quomodo ergo potuit secum pugnare in eodem capite? Nec juvat opponere verba hæc Eximii Doctoris: *In quo etiam considerandum est in præsentî sermonem esse de operibus sensibilibus, quæ hominibus miraculosa apparent, de quibus concedi potest et debet, ut sint vera miracula, necessarium et sufficiens esse, ut superent omnem naturalem virtutem causarum naturalium visibilium et corporalium* (6). Nam ibidem pergit sic idem gravissimus scriptor: *Quia hinc evidenter concluditur etiam esse* (ejusmodi opera) *supra omnem virtutem angelicam, cum hæc non possit,*

(1) S. Thom. in *Responsion. ad Lectorem Venetum*, art. 18.

(2) 1 p. quest. 110, art. 4 ad 2.^{um}

(3) Loc. cit. n. 9.

(4) Ibid. n. 2.

(5) Ibid. n. 5.

(6) Suarez, *ibid.* n. 10.

nisi applicando naturales et corporeas causas activas passivas, hujusmodi effectus sensibiles efficere. Unde cum Augustinus et S. Thomas dicunt posse daemones efficere aliquos effectus supra totum ordinem naturæ corporeæ, non intelligunt supra totam virtutem naturæ corporeæ; sed per ordinem intelligunt illam applicationem et concursum corporalium causarum, qui per communem cursum naturalium agentium eveniret, si ab Angelis non immutaretur. Cum autem hæc immutatio per solum motum localem fieri possit, ad veritatem miraculi non sufficit, ut explicatum est. Quid clarius?

Dices 2.^o Hæc sunt verba S. Thomæ: *Tempore Antichristi aliqua vera miracula fient virtute daemonum, permissione divina, in illis tamen, ad quæ virtus demonis se extendit: tamen dicuntur omnia mendacia ex parte finis, quia ad decipiendum sunt* (1). En disertis verbis docet S. Thomas posse a dæmone propria virtute fieri vera miracula.

Resp. dist. antec. Tempore Antichristi virtute daemonum fient aliqua vera miracula, veritate facti vel effectus, *consec.*, veritate miraculi, *neg.* Et *neg.* conseq.

Nullus, opinor, doctrinæ S. Thomæ fidelior interpres est, quam ipsemet S. Thomas. Hæc ergo est ipsius S. Doctoris doctrina: *Miracula, quæ fienda sunt tempore Antichristi... vera... dicuntur, quia ipsæ res (quæ fient) veræ erunt, sicut magi Pharaonis fecerunt veras ranas et veros serpentes* (2); non tamen habebunt veram rationem miraculi, quia fient virtute naturalium causarum (3). Mirabilium enim operationum, quas daemones propria virtute facere possunt, duo distinguit genera: earum, quæ sunt puræ illusiones vel præstigiæ, quibus nulla respondet extra sensus spectatoris realitas et aliarum, quæ realem aliquem effectum operantur. Et utraque opera negat esse vera miracula, vel vera secundum veritatem miraculi; secunda vero docet esse vera facta,

(1) S. Thoma. 2.^o dist. 7, quest. 3, art. 1 ad 1.^{um} Cfr. 1 p., quest. 114, art. 4 ad 1.^{um}

(2) Quæ alibi (*de Potent.*, quest. 6, art. 5 ad 8.^{um}; 1 p., quest. 114, art. 4 ad 2.^{um}) docet idem Angelicus cum S. Augustino a daemionibus facta esse naturaliter collectis aliunde seminibus ranarum ac serpentum: alii autem ea meris præstigiis adscribunt.

(3) S. Thom. 2. 2. quest. 178, art. 1 ad 2.^{um}

seu vera secundum veritatem facti; prima demum falsa et secundum factum et secundum rationem miraculi. Lege S. Doctorem (1).

Dices 3.^o Cum Angelis, ex S. Thoma (2), corpora obediunt «ad motum localem, equis erit, qui nonnulla ardua, insolita et admiranda, quæ proveniunt ab ea corporum obedientia ad motum localem, miraculo non adscribat, licet vires et facultatem naturalem Angeli, et sic naturæ invisibilis et incorporeæ, non excedat?» Ita iterum Prosper Lambertini, qui rem subinde confirmat et variis operibus, quæ ab Angelis patrata narrant sacræ Litteræ, nec naturalem eorum potestatem videntur superare; et nihilominus vera miracula habenda sunt (3).

Resp. neg. assert. cum S. Thoma, Suarez et communissima veterum Theologorum sententia, qui omnes quamvis vim corpora loco movendi concederent Angelis, negarunt tamen vera miracula efficiendi potestatem.

Quod vero attinet facta mirabilia, quæ ab Angelis patrata leguntur, quoniam nec ago interpretem divinæ Scripturæ, neque est hic locus de natura factorum illorum dissendendi, unum verbum liceat mihi respondere. Necesse non est, ut omnia quæ per Angelos, sive in commendationem virtutis sive in scelerum vindictam, effecta esse edocemur, verum miraculum contineant. P. Augustinus Calmet contendit, quæ demones in corpora fecisse testatur divina revelatio, sine prodigio seu miraculo fieri potuisse: «quæ vero bonis Angelis auctoribus in Scriptura gesta leguntur, inquit, sicut et animarum extra corpus per visum oblata species, ea quoque *citra prodigium facta esse non raro suspicamus*, quod et in corpora agendi et elementa subigendi insita sit spiritibus virtus». Illud etiam adjungo: facta ista, quæ obiciuntur, tunc aliquid valitura esse contra nostram doctrinam, si vel ex sacris Litteris vel ex alia irrefragabili auctoritate notum foret, ea veri ac proprii miraculi rationem obtinere, et insuper illa ex sola naturali Angelorum virtute

(1) 2. 2. quæst. 178, art. 2, init. corp.; de *Potent.*, quæst. 6, art. 5 fin.

(2) 1 p., quæst. 110 art. 3.

(3) Benedict. XIV, de *Servor. Dei Beatific.* etc., lib. 4, cap. 1, n. 16.

contigisse constaret. Verum quamdiu duo hæc comperta non fuerint, nihil conficitur. Vel enim opera illa facta sunt ex influxu divinæ virtutis, vel secus. Si primum dicas, dubium nullum remanebit, quominus vera miracula sint; non quod mediis angelis gesta fuerint, sed quia divina virtus interfuit. Sin alterum eligas, ex effectibus hujusmodi lis dirimi non poterit; sed adversarii quidem affirmabunt, nos vero cum S. Thoma negabimus, ea veri nominis miraculorum attingere dignitatem, solumque concedemus ea esse miracula quoad nos.

Dices 4.^o Atqui hinc plane sequitur: a) multa vel omnia fere, quæ tamquam miracula narrantur vel in sacris Litteris vel in aliis libris fide dignissimis de Moysæ, de Apostolis, de aliis viris sanctis non fore miracula: talia quippe sunt, quæ vires dumtaxat naturæ corporeæ ac visibilis, non autem angelicæ, superent. ß) Sequitur insuper vix posse vera a falsis miracula discerni.

Resp. ad a) *negando* prorsus illatum. Nam nos nunquam diximus ad rationem miraculi requiri, ut quoad substantiam rei excedat vires totius naturæ creatæ. Solum hoc tenemus, opus, quod vires naturæ sive corporeæ sive angelicæ minime in se superat, si mediis hisce viribus efficiatur, miraculosum esse non posse; miraculosum autem esse, si ex peculiari divinæ virtutis interventu procedat. Ergo ea ipsa opera, quæ a Moysæ, vel Apostolis, vel aliis sanctis viris gesta narrantur, quamvis talia forent, quæ naturali potestate angelorum per modum artis, immo et per ipsa agentia naturalia sine angelorum interventu fieri potuissent; si tamen nulla harum causarum intercedente contigerunt, procul dubio miraculosa dicenda sunt. Jam vero quod nulla causarum corporearum, ex cujus naturali virtute opera illa effici potuissent, apposita de facto sit, satis constat: quod autem neque occulta quædam angelorum actio interfuerit, supponi omnino debet. Ubi enim Scriptura silet de angelis, sed actio auctoribus sanctis hominibus tribuitur, non licet nobis angelorum interventum confingere. Ergo ex nostra doctrina minime sequitur imminui quidpiam de veritate miraculorum, quæ vel a Moysæ, vel ab Apostolis, vel a sanctis viris in sacris Litteris aliisque gravissimis libris patrata leguntur.

Ad β) pariter *neg.* assertum, ut abunde patebit ex dicendis mox circa miraculorum criteria.

§ II.—FINIS MIRACULORUM.

Aliquis finis
patrandorum
miraculorum
necessario
admittendus:

qui tamen
non continetur
in ordine
physico.

Falsa opinio
Newtoni
circa mundani
ordinis
conservationem

117. De fine, propter quem miracula patrari possunt, pauca dicere necesse est. 1.^o Et primo quidem quod aliquis adesse debeat patrandi miraculi finis, manifestum est; nam est opus Dei, sapientissime in omnibus, atque adeo propter finem certum, agentis. 2.^o Finis autem iste non continetur in ordine ipso physico conservando. Sane supponi nequit «naturæ ordinem indigere aliquando posse miraculo, ut conservetur: hoc enim ostenderet in supremo opifice prævisionis defectum, quemadmodum in humano artifice, cum in machina a se constructa aliquid emendare cogitur, ne illa dissolvatur aut inutilis fiat» (1). Quare post Arago et Laplace communiter deseritur ab Astronomis opinio Newtoni, existimantis systema nostrum planetarum non posse durare in perpetuum, quin Deus identidem speciali et immediata sua actione interveniat; fere sicut horologia vel aliæ machinæ pergere in suis motibus et officiis nequeunt, nisi adsit peritus artifex, qui naturales illarum defectus suppleat, et corrigat.

Nec mihi objiciat aliquis sententiam Astronomorum et quorundam etiam Physicorum arbitrantium, prout superius innui (2), mundum hunc cum iis viventium generibus inque eo statu, quem in præsentiarum tenet, non posse naturali, ter perpetuo subsistere. Ex eo enim id unum inferre licet quod catholica tenet doctrina et nos ibidem monuimus, mundum hunc secundum præsentem rerum ordinem finem aliquando esse habiturum. Quamdiu autem ex divino decreto duraturus ille est, non indigebit miraculoso ullo Dei inventu ad hoc, ut conservetur; quod si voluisset Deus, ut hic ordo physicus in æternum duraret, reperisset profecto in sapientiæ suæ thesauris apta præsidia, quibus posset sine fine conservari absque miraculis. Conservatio ergo mundani ordinis pure physici nequit esse finis miraculorum Deo dignus.

(1) Tongiorgi, *Cosmolog.*, n. 447.

(2) Nnm. 35.

3.^o Miracula ergo ad altiorum divine providentiæ ordinem diriguntur in bonum hominis, ad ordinem videlicet moralem ac supernaturalem; fiunt enim, ut Deus ostendat suam gloriam, virtutem, bonitatem, providentiam, ac præsertim ad demonstrandum veritatem revelatæ doctrinæ sanctitatemque servorum suorum (1). Deus enim peculiarem et specialem gerit providentiam circa rationalem creaturam, quam etiam ex infinita bonitatis suæ largitate ad finem supernaturalem visionis beatificæ evexit, dogmata et religionem excellentiorem edocuit, aptisque præsiidiis ad facilem præclarissimi finis assecutionem instruxit. Verum quia homo non potest naturali suo lumine veritatem ac sanctitatem assequi supernaturalis religionis ac doctrinæ revelatæ, decrevit Deus, inter alias notas credibilitatis, quædam opera præter solitum naturæ cursum patrare, quibus tamquam indubiis ac veracissimis divinitatis indiciiis et voluntas sua cunctis pate-sceret, et veritas dogmatum, vel ministrorum suorum sanctitas, manifesta redderetur: ideoque vocantur *signa*. Quare Apostoli dicuntur in Evangelio profecti, ut ubique legem Christi Domini prædicarent, *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (2). *Naturale est, inquit Angelicus, homini, ut veritatem intelligibilem per sensibiles effectus deprehendat. Unde sicut ductu naturalis rationis homo pervenire potest ad aliquam Dei notitiam per effectus naturales; ita per aliquos supernaturales effectus, qui miracula dicuntur, in aliquam supernaturalem cognitionem credendorum homo inducitur* (3). Et Alibi: *Vera miracula non possunt fieri nisi virtute divina; operatur enim Deus ad hominum utilitatem: et hoc dupliciter: uno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem, alio modo ad demonstrationem sanctitatis alicujus, quem Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis, etc.* (4). Quæ fusius adhuc alibi evolvit idem sanctus Magister:

Proprius finis
miraculorum
assignatur.

(1) Suarez, *de Mysteriorum Vitæ Christi*, disp. 31; Benedict. XIV. Op. cit. lib. 4, cap. 4.

(2) S. Marc., cap. 16, v. 20.

(3) S. Thom. 2. 2. quæst. 178, art. 1. Cf. *Quodlib.* 2, art. 6; et lect. 2 in epist. 2.^a ad Thessalonic. fin. Qua de re plura vide apud Benedict. XIV, Op. cit., lib. 4, cap. 4, n. 4.

(4) S. Thom. 2. 2. quæst. 178, art. 2 et in resp. ad 3.^{am}